

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0385

0383

0389

0379

0394

0374

0434

0334

0484

0284

0884

Ende

Anfang

372

Siculi et Cataloni Mamalucci, i. e. abnegati Christiani, ad nos sunt ingressi quaerentes nobiscum habere solatum. Omnes illos accepimus et familiariter cum eis conversati sumus, quod tamen Trutschelmanno et Calino valde (**b**) displicuit. Sunt enim Sarraceni Mamaluccis inimici occulti, pro eo, quod dominantur eis ita, quod vix audent levare capita in conspectu eorum. Idcirco isti duo Sarraceni, Sabatithanco et Elphahallo, ductores nostri, indignabantur nobis, quia timebant, quod ipsos apud eos magis odibiles faceremus; eramus enim tunc cum eis discordes propter retentionem nostram in loco illo. Ipsi autem duo Sarraceni, uti astuti et experti viri, conabantur per opprobriosas objectiones nos a familiaritate Mamaluccorum avertere. Sabatithanco dicebat: estis vos, inquit, veri Christiani; qua fronte potestis comedere et bibere cum illis, qui cum exsecrabilibus juramentis fidem Christianorum abnegaverunt? Alius Sarracenus, Elphahallo, dixit: vos estis de illis Christianis, qui indubitanter salvantur in fide sua, et illi Mamalucci propter negatam fidem vestram indubitanter damnabuntur. Quae ergo conventio vestra cum eis? Erat enim Sarracenus ille opinionis istius, quod quilibet salvaretur in ea fide, in qua natus fuit, et in nulla alia, ut patet supra P. 1. Fol. 222. Ad haec respondimus eis, prout potuimus. Porro facto prandio venerunt iterum Mamalucci colloquentes nobis, quibus cum dicemus, quod libenter vellemus videre exercitum eorum et equos, tentoria et apparatum bellicum, duxerunt nos in civitate ad stabula, in quibus stabant equi pulcherrimi, et eduxerunt nos extra civitatem, ubi erant fixa tentoria, et cuncta cum ammissione vidimus, nec erat, qui nos torve respiceret, dum illi nos ducerent, qui videbantur nobis esse potentes in exercitu. Et visis omnibus reversi sumus in locum nostrum et male respecti a nostris ductoribus, quod tamen parum curavimus.

Quarta die mane convenimus et illum diem decrevimus deducere in labore dispositionis ad iter deserti et emere ea, quae adhuc essent nobis necessaria cum illis, quae procuravimus in Jerusalem. Sors autem procurantiae nostrae societatis super me cecidit. Et accepta pecunia a sociis cum procura-
tione aliarum duarum societatum exivi ad forum pro facienda provisione. Sed ecce, nihil erat in foro, et omnes pategae et

